

Q.L. 385,9c.

Hn  
1481

26

(3)

RECTOR  
ACADEMIAE VVITEBERGENSIS  
**G E O R G I V S**  
**F R I D E R I C V S**  
**B E R M A N N V S**  
MATHEMATVM SVPERIORVM  
PROFESS. PVBL. ORDINARIVS  
INSTITVTVM  
**C A R O L I F R I D E R I C I W I R T H G E N**  
DRESDENSIS S. S. TH. CVLTORIS  
A. D. VI. CAL. SEPT. A. R. S. CICIOCCCLXIV  
HABENDA PVBLICE ORATIONE  
LEGI LIBERALITATIS WEYRAVCHIANAE  
SATISFACTVRI

**C I V I B V** S BIBLIOTHECA  
COMMENDAT PONRATIANA

Praemittitur Antiquitatum Germaniae specimen XIV. intercalarium I. de geographicorum, quae sub Ptolemai nomine circumferuntur, fide et auctoritate.

W I T E B E R G A E

PRELO EPHRAIM GOTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS.



**Q**uae superioribus antiquitatum patriae  
specimini bus ex antiqua geographia  
considerauimus, occasionem dederant, vt  
saepius mentio etiam facienda esset scri-  
ptorum, quorum e reliquiis, quas serua-  
mus vtcunque superstites, vix multum ad diiudi-  
candam fidem erui possit. Inde etiam accidit, vt  
quaedam testimonia, sub nominibus vetustorum au-  
ctorum, qui libris quibusdam inscribuntur, prolata,  
essent refutanda, vt de CL. P TOLEMAEI descriptio-  
ne Germaniae nos fecisse meminimus, specimine  
quidem VI., quod de originibus Saxonici s. I. praes-  
ribitur. Eandem deinde sententiam quum alia  
occasione in actis eruditorum Lipsiensibus rursus  
aperuissemus, accidit, vt virum quendam eruditissi-  
mum vel eo nomine commoueret admonitio per-  
humana, neque secius, vt ex eius comi et elegante  
defensione intelligitur, excepta, nisi quod inuiden-  
da elogia refundere in ipsum eadem mente malu-  
mus. Non est hic locus disceptandis controuersiis  
litterariis proprie destinatus; quia tamen vir littera-  
tissimus nostra de Ptolemaeo pronuntiata aliter,  
quam par erat, accepit, et eius mentione ne post-  
hac quidem in his originibus maiorum nostrorum  
indagandis abstinere poterimus, declarandum vi-  
detur dilucidius, quid de illius libris, donec melio-  
ra edoceamur, statuere nos posse putemus. Super-  
esse quaedam Ptolemaei non supposita, neque con-  
taminata, in astrologicis et mathematicis praeser-  
tim, in quibus scribarum aberrationes facilius no-  
tantur,

tantur, nunquam negauimus; tametsi praestare nollemus integra ex omni parte, qualia ipse scripsit, superesse illa volumina, nec in breuius paullatim contracta, aut nouis etiam obseruationibus aucta. Sed quidquid scripsimus, de geographiae libris scripsimus, qui hodie exstant, et de illa quidem parte, in qua Germania enarratur. Posueramus enim: *Non tamen dissimulabimus, nihil admodum confici, addato centonis Ptolemaeani, (crassius in Germania certe su-  
ti, laceris et male conciliatis e pannulis,) loco de Bo-  
nochaemis, orientalia Chamauorum ultra Melibocum  
coletibus.* Quae verba doctissimus annalium Hage-  
cii editor (in sua defensione post praefat. Part. II.  
§. VI.) sic interpretari voluit; (ipsius enim verba et-  
iam damus:) *centonem Ptolemaeanum e laceris et  
male conciliatis pannulis crassius in Germania saecu-  
lo denum XIV. consutum appellat.* Qui nostra,  
quae praemissimus, enuntiata leget, facile animad-  
uertet, nihil in iis de saeculo XIV. deprehendi, et  
illud: *in Germania, non significare locum officinae,*  
*in quo confectus fuerit cento, sed locum libri, in*  
*quo de Germania agitur.* Ne autem porro quis du-  
bitet, quid nobis de Ptolemaei geographicis, quae  
sub eius nomine circumferuntur, mentis sit, haec  
pauca notare libuit, vtilia antiquae historiae alio-  
quin insuper futura. Quae enim veteres adhuc in  
Ptolemaei geographicis legere, quamuis vel duo,  
vel nemo, eius mentionem fecerint, si hodie non  
comparere ostenderimus, plura forte aequi arbitri  
ad suspicionem, opus saltem contractius superesse,  
non requisuerint. STEPHANI, quem Byzantium  
vocant,

**V**ocant, epitomen tantum των Ἑγγυκῶν superesse, nemo ignorat. In hac tamen sub nomine: Χαρακ-  
μαβα, e PTOLEMAEI vetustis et genuinis geogra-  
phicis ea proferuntur, quae si exstare hodie acutis-  
simus GELASIVS docuerit, magno beneficio se ad-  
fectos omnes paullo eruditiores fatebuntur. In ea-  
dem epitoma post laudationem auctoris Ptolemaei  
subiicitur: αΞιοπισος δ' ἀνηρ περι τα τοιαυτα. σπου-  
δην γαρ ἐθετο ισοεησαν ανριβως τα της Ἀραβιας.  
Quis non, his lectis, magnum copiosum, et flori-  
dum de Arabia opus, quale Strabo de orbe terra-  
rum conscripsit, exspectaret? Sed forte aliud opus  
των γεογραΦικων, aliud των Ἀραβικων nonnulli sta-  
tuent? At enim obstant praecedentia: Πτολεμαιος  
ἐν γεωγραΦιοις ἐν πειπτω βιβλω ἐν τοις Ἀραβι-  
κοις. Sed adferamus auctoritatem paullo maiorem.  
**MARCIANVS HERACLEOTES**, cuius dimensiones  
hodieque in situ locorum satis apte congruunt, se-  
qui se profitetur Ptolemaeum, quem ea caussa in-  
genti encomio ornat. Sed in hodiernis Ptole-  
maeani cadaueris reliquiis quoties aliquid Marcia-  
neis mensuris, ordini, narratis, respondet? Maior  
est discrepantia, quam ut soli librarii incusari pos-  
sint. Tacemus tot Germaniae vrbes, quot hodie  
vix numeramus, procul a Rheno et Romanis aut  
Gallicis coloniis, iam Antonini aetate. Sunt tamen,  
qui πολεις vicos intelligendos doceant. Praeclaros  
sane magistros, modo Graecitatem, quae sub  
Antoninis nondum βαρβαριζει*ν* iudicata fuit, bene  
imbiberint! At enim demus etiam maioribus, vr-  
bes, tanquam ferarum claustra, vitantibus, nihil-

minus

minus vrbes; totidem certe, quot Ptolemaei hodierni defensores cupient. Quid fiet tot fluminibus, tot fluminum vadis, tot arcibus, tot stagnis, tot paludibus, (si modo non piscinis!) quae singula subtilis dimensor Aegyptius, veluti ex quadam specula, et repercussa ex astris forte luce imagines dicens, sub certis numeris comprehendenterit? Prometheum fuisse oportuerit, eo sane aevo, haec si fecerit, sermonem. At enim praeuideo, qui ex aduerso respondeant, fore, testem vetustatis geographicorum Ptolemaei superesse codicem Noribergensem, in quo ipsius Ptolemaei manu picti mundi, ut Propertiano verbo vtamur, aut, quod nos dicimus, descriptae terrarum tabulae, edisci possint. Omnium quidem, qui de codicibus iudicare norunt, fidem imploramus, ut nobis illa signa certa, clara, et indubitate indicare dignentur, e quibus de Ptolemaei autographis secure iudicare liceat. Modo non illud fuerit, *Calliopius recensuit*, aut, *Thecla subscripsit*. Venit etiam aliud in mentem. Solus, quantum meminimus, curatius istius codicis mentionem fecit WAGENSEILIVS. Is, (comm. de ciuit. Norib. c. XI. p.m.79.) ait e SAVBERTI orationibus, omnium sane criticorum monumentorum forsan incorruptissimis, sese comperisse, exstare ibi in bibliotheca publica: membranam sane antiquissimam, in qua ipsius Claudi Ptolemaei manu ductae figurae. Agnoscamus, licet, in Sauberto sagacitatem, qua ex situ forsitan, aut vetustate pulueris, manum Ptolemaei odratus fuerit. Non dicitur tamen membrana haec esse geographicorum Ptolemaei. Sed bene est quod

Statim ibidem sequitur: *Ptolemaei eiusdem Cosmographia, manu Trapezuntii correcta.* Mirum vero profecto, nisi haec ipsa verba sic intellecta fuerint, ut supra verba nostra clara et perspicua fuisse intellecta praeter mentem plane nostram docuimus. Sed quid si dulci hoc errore ad fontem veri, seu fabulae potius originem, nec opinantes nos delapsos sentiemus, ut Gelasio, viro humanissimo, gratiae etiam agendae sint, quod de saeculo XIV. adsuere nostris cogitatis aliquid voluerit, quia initio sequentis certe Trapezuntius vixit. Exspectabimus vero, qui vetustius Trapezuntio et minime fallacibus notis insignitum exemplar cosmographiae Ptolemaei Graecum proferre e tenebris eoque donare orbem eruditum possit. Qui **GEOGRAPHVM**, quem vocant, **RAVENNATEM** legent, deprehendent, tot fictos et omni aevo inauditos auctores ab ipso laudari, ut bibliothecam Alexandrinam, ex incendio seruatam, huic vni patuisse, diceret. Idem Ptolemaeo, cuius geographica sinu et osculis dignari quosdam videas, in eo est simillimus, quod millia nominum priorum, nusquam gentium villa aetate auditorum, vbique crepet. Si dicendum, quod res est, erit et hic Ptolemaeus, et tot fors ingenia, quot nomina temere cudit, exercebit. Praeterea ne quis forte metum fieri nobis, ex praeiudicatis opinionibus iudicare non solitis, posse putet, *Ptolemaei tot saeculis firmata sede,* (faustissimum profecto omen, quod ea Romana saltem haud erit!) belle nouimus caussas, ob quas aevo barbaro, et nondum iudicandi de auctorum operibus arte inuenta,

uenta, nomina falsa libris inscribi coeperint. So-  
la celebritas vnius alteriusue sufficiebat, vt ad di-  
cendum vbique testimonium non quidem inuiti,  
sed ne consci quidem, conquirerentur, traheren-  
tur, obtortoque collo raperentur. Non attinge-  
mus ab aliis obseruata; quae ipsi intra pauculos di-  
es notauiimus, adferemus. SCHEIDIVS nuper ad-  
modum IOANNEM DE ESSENDIA in lucem pro-  
tulit, qui in rebus Caroli M. vbique GREGORIVM  
TVRONENSEM, quasi ab inferis excitatum, aucto-  
rem laudat. CORNERVS (inter scriptores ECCAR-  
DI) ad SIGEBERTVM, (Gemblacensem intelligi  
priora tempora docent) saeculo adhuc XIII. pro-  
uocat. LEOPOLDVS BABENBERGENSIS ad  
tempora vsque Ludouici Bauari omnes historias  
EX EVSEBII Chronico se adferre testatur. AV-  
CTOR CHRONICI WORMAT: (ap. LVDEWIG.  
Reliq. MSS. T. II.) quoties EGINHARDVM citat,  
temporibus, quibus defunctus is pridem fuit, ver-  
ba nobis ANNALIVM, quos vocant, FVLDENSI-  
VM adnumerat. Itaque, si erroribus saeculorum  
pugnandum esset, horum sedes tam vetusta et fir-  
ma stabili, quam Ptolemai in sua cosinographia  
vlla fingi, posset. Sed supersunt longe potiora  
et grauiora in omni historia, ob quae artem de  
scriptoribus ex compertis indicis iudicandi iure fa-  
ciamus maximi, nec, vt aliquid sub specioso nomine  
vulgatur, pro incorrupto vetustatis monumento ar-  
ripiamus, vt exemplis Berosi, Midori, Turpini, satis  
confirmatum est. Errores ingentes Ptolemai an-  
te nos iure notarunt Velerus, Cluuerius, Merula,  
Con-


88  
An  
1481

Conringius. Nos, si quid ex eius geographicis superest, tot male infersis, disiectis, inepte repetitis, mouemur, vt malas manus id passum esse, statuamus, si non totum opus sub nomine Ptolemaei, pridem perdit, confictum fuerit. Et cur non Stephanus, qui diligenter rariora gentium nomina conquisuit, et Ptolemaeo integro usus est, illa horrida monstra, quae pro populorum aut locorum vocabulis in hac farragine constipantur, suo operi inferuisset?

Est apud nos Weyrauchiani legati lex, vt qui eo ad subsidium studiorum fruitur, quotannis orationem habeat, et ad recolendam pie repurgationis sacrorum memoriam religionis amantes auditores excitet; instituto saluberrimo, vt ad utilem exercitationem in veri inquisitione mature acuantur ingenia, et quaedam sollertia reperta apte et decore explicare, atque iudiciis aliorum adprobare discant, et diuinae simul bonitati pro tanto munere opportune gratiae persoluantur. Huic, qui sollemniter a.d. vi. Cal. Sept. in auditorio maiori satisfacturus est, CAROLVS FRIDERICVS WIRTHGEN, Dresdensis, SS. Theol. cultor ornatissimus, facile ab humanitate, CIVES, vestra impetrabit, vt ad audiendum ipsum beneuoli et frequentes concurratis, si, vt certe soletis, omnem operam eruditioni et litteris impensam iuste aestimabis, et vel argumento ipsi, quod sibi exsequendum delegit, de mutuis officiis religionis et litterarum, ex historia praecipue susceptae a Lutherdo doctrinae sacrae emendationis, ex animis fauebitis.

P.P. Viteb. a. d. v. Cal. Sept. A.R.S. CCCLXIV.

B.I.G.



RECTOR  
ACADEMIAE VVITEBERGENSIS  
**GEORGIVS  
RIDERICVS  
BERMANNVS**

THEMATVM SVPERIORVM  
PROFESS. PVBL. ORDINARIVS

INSTITVTVM

**ROLI FRIDERICI WIRTHGEN**

DRESDENSIS S. S. TH. CVLTORIS

A. D. VI. CAL. SEPT. A. R. S. CICICCC LXIV

HABENDA PVBLICE ORATIONE

GI LIBERALITATIS WEYRAVCHIANAE

SATISFACTVRI

**C I V I B V S**

COMMENDAT

BIBLIOTHECA  
PONICAVIANA

mittitur Antiquitatum Germaniae specimen XIV. intercalari-  
n I. de geographicorum, quae sub Ptolemai nomine cir-  
cumferuntur, fide et auctoritate.

W I T E B E R G A E

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS.

Hn  
1481  
(3)

REDACTIO  
HALLE  
BIBLIOTHECA  
PONICAVIANA